



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 84. San-Vallerius Franciæ Legatus Romæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1505.

Venetorum concordia cum summo Pontifice.

Veneti in hisce rerum angustiis prehen-
si, præsentissimum fore remedium
arbitrabantur, si pace cum summo Pon-
tifice inita, illum a foederatorum socie-
tate abstraherent, quapropter retentis
Faventia, & Arimino Romandiolæ ur-
bibus, Sedi Apostolicæ Foro-Cornelien-
sem, & Cesenatensem Comitatus, ce-
terasque omnes civitates sub Pii III. Pon-
tificatu occupatas restituere spondent, ea
duntaxat lege, ut Sanctitas sua eorum
Legatos admittere dignaretur: annuit
Pontifex, ac pacem conciliante Urbina-
tis Duce, Venetos denuo in gratiam re-
cepit, ac juxta pactorum leges decem
urbes, arcesque cum suis territoriis, ter-
risque annexis rursus Ecclesiastico im-
perio vindicavit.

Marian. lib.

28. n. 74.
Guicc. lib. 6.

§. LXXXIV.

San-Vallerius Franciæ Legatus Romæ.

Verum hac pace res suas parum auctas
esse, brevi experiebantur Veneti;
dum enim hæc gerebantur, San-Valle-
rius Romam venit, a summo Pontifice
per-

Sæcul XVI A.C. 1505 perbenigne exceptus, qui idem Budæum, Virum longe nominatissimum ab epistolis habebat. Is a Ludovico XII. accepit negotium, Papam inducendi, ut hic permetteret, quatenus Ferdinandus Neapolis Regno quiete potiretur, simul vero totis viribus præpediret, ne Cæsar imperialem Coronam accipiendi prætextu in Italiam veniret: verum Pontifex operam suam spondere, ac foedus sibi propositum ratum habere, adhuc dum cunctabatur.

§. LXXXV.

Franciæ Rex morbo correptus.

*San-Galaf.
hist. Ludov.
XII.*

*Ferron l. 4.
Raynald. hoc
ann. n. 9.*

Interea temporis Ludovicus XII. ex febrili tertiana, quæ in continuam degenerabat, graviter decumbit, lingue usque privatus, ac ipsis quoque Medicis de ejus salute desperantibus. Funesto hoc nuncio Mediolanum delato, mox omnes ferme Galli, qui ad tuendum Ducatum relinquebantur, sine Regis venia ad sua revertuntur, caussati, eorum operam magis fore necessariam in Galliarum Regno, eoquod illud post Regis obitum gravibus bellis agitandum prospicerent, nec inanis fuisset eorum sollicitudo, si mala, quæ timebant, evenissent.

§. LXXXVI.